

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

tam verum, ut folia coēta colo exulcerato infernē infusa, producant eandem. In Ananiae vallis montibus, pueros qui hyosciamī semen comedenter, adeō desipientes vident Mathiolus ut parentes à Cacodæmonibus eos vexari crederent.

C A P U T X X I I I . DE HELENIO, HELIO- tropio, & Hiuca.

Helenium stirps est, annua hominis staturam supētans, viginti aliquando pedes & quatuor, sex ex quo terrae semen mandatum est mensibus, attollitur. Caulis fastigio capitulum quod strobilo simile, rotundius modo & latius insidet, quodque ingentis disci amplitudine in florem explicatur magnum. Bauhin. ad l. 4. Diosc. c. 182. Medius enim discus nonnunquam sesquipedem excedit, & foliis oblongis aurei coloris ceu radiis solatis orbiculariter cingitur, media purpurascente planicie. Semen in disci alveolis dispositum est, cortice obdūctum nigro, medulla dulci. Eius tanta copia, ut aliquando ultra mille in uno disco reperias: Sunt, qui teñeros foliorum pediculos pilis derasis, in craticula coctos, sale, oleo, & aromatibus condunt, palato carduis gratiore. Cum Sole in Orientem modo, modo convertitur in Occasum & quidem mirabiliter. Ad ejus enim ortum quasi præterientia capite nutans reclinatur, & cum surrexit, consistit, Solem semper respiciendo, & ad ejus radices se plurimum pandens, donec Sol occidat. *Heliotropio* formicæ necantur, obturatis ea illarum foraminibus. *Scorpionis* cavernula si ejus circumscribatur succo, nunquam egreditur foras; herbam si imposueris, emotitur. Mathiol. ad lib. 4. c. 186. *Hiuca* humanæ coxa compleat crassitudinem. Cum Sole se circumagit etiam nubilo die; noctu velut desiderio contrahitur. Plin. l. 22. c. 21. Redigunt eam in pollinem, pumicum aut cotium attritu; tum indunt in manicam, aquam.

quam imponunt, succum expressione transiuntur.
Liquor lethalis est. Puls reliqua, soli saccari candi ex-
ponitur specie, siccata satina, aqua subacta in panis
formatur modum. *Scalig. exerc. 153. l. 8.*

CAPUT XXIV.

DE IMPIA, JUNIPERO & KALI.

IMPIAM à nullo tangi animali existimant, indeque ei nomen. Alias inter duos trita lapides servet, præcipuo adversus anginas succo, lacte & vino admistis. *Mathiol. in lib. 3. cap. 145.* Qui gustaverint, nunquam eo morbo tentantur. Sunt qui in avium nidis inseri aliquid ex ea opinantur, arque ita non strangulari pullos avidius devorantes. *Juniperus* dura est; hinc lignum ad centum incorruptum annos. Ideo templam Diana Ephesina juniperinis trabibus extrui imperavit Annibal. *Plin. l. 15. c. 40.* Carbo illius ac-
census, & suo cinere obrutus, integro anno ignem fovet, si Chymists credimus. Paratur ex eo balneum admirabile ad podagricorum salutem hoc modo. *Su-*
mito signi juniperi concisi libras 12. coquito in aqua in
cortina magna, quoisque tertia tantum pars superfit;
deinde decoctum unacum ligno in labrum projicito. In
*hoc ubi descendit ager, sedeat umbilico tenus, & mem-
bra languide foveat; arque hunc præpurgatum esse oportet.* *Mathiol. l. 1. Dioſc. c. 87.* Aduti hoc balneo multi
podagri, ita ut cum antea continuo lecto jacuissent
affixi, ad negotia postea reducerentur sani. Medulla il-
lius in Numidia candida est: in *Æthiopia nigra*, in
Lybia purpurea. *Scalig. exerc. 181. f. 9.* Ea etiam in
scobem comminuta Afri Medici, felici successu, vice
Guajaci ad morbum Indicum ueuntur. Morbus hic (di-
cam obiter) à Iudeis ex Hispania in Africam importa-
tus, ibi non nisi remedio deleri potest. At si laborantes
in Numidiā aut Nigtiticā se conferunt *Æthyo-*
piam, solius cœli beneficio convalescant. *Ex cine-*
ribus